



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Corbinianvs Episc. 8. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

runt. Et vicisse etiam se ratus est, cum manus tyranno dedit vinculis ligandas, ex quibus cum aliquot post dies cum bonâ veniâ egressus ædes suas repeteret, conjunx ejus Natalia fortissima matrona transfugam è sanctis castris adventare rata tecto exclusit, nec prius admisit, quàm fidem se DEO servasse ostenderet. Quin ipsa in vincula reduxit maritum, ipsa cum cæsus ilia effunderet, dictis firmavit. Et quia feminis aditus ad ergastula martyrum jam negabatur, positis capillis, ut viro foemina animos adderet, virum induit, cumque membris truncandi jam Christi milites essent, id scilicet à carnifice multis precibus blanditiisque exoravit, ut primas conjux teneret; ab hoc vero, ut, sponte manus securi subiceret. Ipsa dexteram ADRIANI legens thesauri loco (& erat) asservavit. Nec multo post cum ADRIANVS ad cælitū gaudia Nataliam etiam invitasset, conjugii suo conjunx iterum & æternum juncta est. Quamvis quid conjuges dico, quando in utroque virum agnovimus?  
*Ex Surio.*

S. CORBINIANVS EPISC.

8. Septembris.

CORBINIANVM fugientem è Galliâ honor Romæ affecutus in totius orbis oculis infulâ mactatū in patriam remi-

remisit. Iterum Romam dum fugit, ursum qui Clitellarium equum interceptum absumpserat, vicariam sibi operam jubet addicere, & cum equo equi etiam sarcinas ferre. Reduci per Bavariam Grimoaldus Dux hospitium offert. At negat ille impudicitia stabulum hospitium sibi fore, pelleret, quam uxoris loco haberet, Pilitrudem, fratris nuper conjugem. Advolant, ecce, uterque & infames nuptias ejurant. Subinde CORBINIANVS ad epulum vocatur. Adest, bene precatur, assidet. Sed dum Grimoaldus buccam cani objectat (audite qui canes plures quam pauperes alitis) eversa mensa è diarta se proripit, detestatus epulas, quibus quidem Præsul dixisset bene, sed canes accubuissent: se deinceps cum hominibus cœnaturum. Non multo post in Strigem offendit, audit incautationibus Pilitrudis filio salutem attulisse, invicem ingentia munera abstulisse. Enimvero jubet omnia in prædam egenis cedere, debitaque superstitioni stipendia probra & plagas numerat; mox paratas capiti à Pilitrude insidias effugit, sed non perinde etiam hæc cali iras. Nam primo filium, mox etiam maritum vitâ videt exturbari. Ipsam longum funus vivumque, captivâ; Galli abducunt; exulê dein in Italiâ asellus asportat. At CORBINIANI

tumulum suis cælum funalibus ornavit, Frisinga pro Asylo habet. Ex tom. I. Annal. Boio.

B. BONFILIVS ORD. SERV.  
B. M. V. 8. Septembris.

Quid Roma pileum, quid secundum libertatem vindicias crepas? ego iterum illos laudo, qui pulchram servitutem sub Mariæ nomine circumferunt. Tu felicissima servitutis cunabula audi. Fuit jam olim nobilis inter civitates Florentinos Societas VIRGINI sacra. Hi dum ex more festum calo translata diem agunt, BONFILIVS pars magna & ipse horum, quinque alii faces subdi pectori senserunt, quibus, ut se totos VIRGINI manciparent, inflammabantur. Nec mora, vitam opesq; veteres cum veste ponunt, & novus ipso Nata VIRGINIS die, peculiaris eidem coetus enascitur, Ardingi primo id loci Antistitis, tum Innocent. IV. Pont. Max. autoritate probatus: cumque stipem colligentes infantes faciendo miraculo *Servos VIRGINIS* clamitarent, id hodieque scilicet nomen ferunt. Iam incrementa ordinis promisit vitis, quæ sub vernum tempus sata, mox DOMINÆ luce (quæ Salutata ab Angelo colimus) & florem & gemmam adeoque uvam exhibuit. Sed & vestes servis suis Deipara

ob-